



PRAEDICABILIA

SCOTI.

DE PROPRIO.

QVÆSTIO I.

An proprium sit universale?

Proprium vero quadrifariam diuidunt. Cap. 5.



CIRCA capitulum de proprio, quaritur: utrum proprium sit universale? quod non videtur: quia oppositum non prædicatur de opposito: Proprium, & commune, opponuntur: ergo hæc est falsa: Proprium est commune: sed commune, & universale, idem sunt: ergo.

Item; nulla intentio prædicatur vere in abstracto de re primæ intentionis: hæc est vera: risibilitas est proprietas: ergo proprium non est intentio.

Cap. 9.

Item, per Arist. in 4. Topic. si genus est ad aliquid; & species: universale est ad aliquid; proprium non: ergo, &c. Prima pars minoris patet: quia universale, cum sit essentialiter prædicabile, dicitur ad illud, de quo prædicatur, siue ad subijcibile: Secunda probatur: quia proprium non refertur ad illud, cuius est proprium: nam nullum accidens refertur ad suum subiectum: quia tunc omne accidens esset relatiuum. Similiter illud, cuius est proprium, prius naturaliter est proprio: relatiuum autem simul est natura cum correlatiuo; nec

ad aliquam aliam refertur intentionem: ut patet inductiue, sicut argutum est supra de differentia.

Item; proprium manet, non existente intellectu: quia non existente intellectu, adhuc sicut prius; habere res inest omni triangulo, & soli, & semper.

Ad oppositum est Porphyrius: & Aristot. primo Topicorum ponens proprium esse prædicatum: ergo universale. Cap. 3. 4.

Ad questionem dicendum: quod proprium est universale: quia prædicatur de pluribus: est enim secundum Arist. 1. Topicorum, prædicatum conuersum, idest conuertibiliter de illo, cuius est proprium: illud autem est universale: quia potest esse demonstrationis subiectum: quia omne proprium potest demonstrari de eo, cuius est proprium per definitionem. Vniuersalium autem est demonstratio per Aristot. 1. posteriorum: ergo, si ipsum subiectum prædicatur de pluribus, & suum conuertibile prædicatur de pluribus, quod est proprium.

Intelligendum tamen: quod proprium est æquiuocum: quia potest esse nomen primæ intentionis: & sic opponitur communi: & potest aliquid dici proprium indiuidui; sicut, & species: & sic est concretum, & à proprietate dictum. Alio modo proprium est nomen secun-

secundæ intentionis significans intentionem secundam; scilicet, prædicatum conuertibile, non prædicans essentiam: ut diffinitur primo Topicorum: & sic est species vniuersalis: quia vniuersale descendit in ipsum per differentias per se diuisas eius; scilicet, prædicari conuertibiliter in quale accidentale.

Ad primum argumentum dici potest: quod proprium opponitur communi; ut est res primæ intentionis: non autem ut est secunda intentio.

Vel aliter quod sunt relatiua; & vni relatiuum dicitur de alio: non tamen oppositum de opposito: quia non sunt opposita, nisi respectu eiusdem. Proprium autem in respectu speciei commune est respectu indiuiduorum sub specie contentorum: quia de illis dicitur, ut de pluribus; non de specie, cuius est proprium.

Ad aliud patet: quia proprietatis est abstractum proprium; ut est nomen primæ intentionis, non secundæ.

Contra: risibile est proprietas: risibile est proprium: ergo proprium est proprietas. Præmissa sunt vera: ergo conclusio: sed res primæ intentionis, sic, non prædicatur de re secundæ intentionis in abstracto: sicut nec è conuerso.

Item, si, ut est nomen secundæ intentionis, est concretum; quid est eius abstractum?

Ad primum dico: quod est fallacia accidentis: quia extraneæ insunt accidentia realia, & intentionalia ipsi subiecto.

Ad secundum dico: quod eius abstractum non significatur vno nomine: sicut nec in alijs quatuor: sed per circumloquutionem: sic exprimitur intentio proprii.

Ad tertium principale dici potest: quod si genus sit ad aliquid; oportet speciem esse ad aliquid per se, sed non primo, sed secundum genus: sic proprium secundum suum genus, quod est universale, dicitur ad aliquid; scilicet, ad illud, de quo dicitur; vel ad subiectum: quia prædicatum dicitur ad subiectum.

Aliter potest dici: quod secundum propriam rationem refertur primo ad speciem, non in quantum species; sed in quantum habens proprium. Cui dicitur: quod non: quia accidens non refertur ad subiectum: dico, quod subie-

ctum proprii, ut est intentio, non est species; sed res aliqua primæ intentionis: ut risibile: sicut de vniuersali supra dictum est: tamen illud, cui applicatur intentio proprii, potest esse in eo, cui applicatur intentio speciei: ut risibile in homine.

Ad secundam probationem, cum dicitur: Proprium prius est illud, cuius est proprium: dico, quod subiectum secundum se est prius: sed non in quantum habens proprium: non est autem correlatiuum proprii, nisi in quantum habens proprium.

Ad quartum dico: quod nihil proprie accidit alijs; ut ibi sumitur accidit; nullo existente intellectu: Similiter nec accidit omni: quia nihil est commune omni, cui possit accidere aliquid, nullo intellectu existente.

Summa textus.

Postquam expediuit se Doctor circa capitulum de differentia, querit circa capitulum de proprio an sit universale: & ut intelligatur de quo proprio loquatur in hac, & sequentibus questionibus, refert litteram Porphyrii dicens: Proprium quadrupliciter sumi posse, prout ad cognitionem quaræ vniuersalis artinet; alias enim acceptiones haberi ut apud Grammaticos: & apud Arist. 1. Topicorum cap. 4. de proprio ad aliud: de Proprio quando: & de proprio simpliciter, constat: Primo igitur appellatur proprium, quod conuenit soli, sed non omnino habere actum, vel habitum medicinali, soli homini conuenit; sed non omnibus. Secundo, proprium dicitur, quod conuenit omni, sed non soli: ut esse bipedem regulariter, & iuxta ordinem naturæ conuenit omni homini: sed non soli: quia etiam alijs animalibus conuenit. Tertio modo appellatur proprium, quod conuenit omni, & soli; sed non semper: ut canescere naturaliter conuenit omni, & soli homini, ex frigiditytate, & humiditate cerebri; sed non semper nisi in senectute, quando cerebrum redditur humidum, & frigidum. Quarto tandem modo dicitur proprium, quod conuenit omni, soli, & semper: ut esse risibile in homine: esse diuisibile in quantitate: habere tres terminos in syllogismo: & de proprio, hoc quarto modo sumpto agitur in hoc capite; & de eo inquiritur in presentia: an sit universale sumptum pro secunda intentione: sicut de differentia propriissima supra dictum fuit.

Partem negatiuam quatuor probat argumentis. Primo per locum ab oppositis: quia proprium, & commune, idest, vniuersale, opponuntur: ergo non potest commune de proprio prædicari: ergo hæc est falsa: proprium est commune, seu vniuersale.

Secundo, arguitur ex modo prædicandi se-

cundam intentionem de prima: quia nulla inten-
tio secunda in abstracto prædicatur de prima:
sed hæc est vera: si bilis est proprietas: ergo
hæc est falsa: Proprium est intentio.

Tertio, quia proprium non est relatiuum ra-
tionis: sicut est vniuersale: nam si genus est: id ali-
quid, etiam & species: per Arist. 4. Topic. ergo
proprium non est vniuersale. Antecedens patet:
quia non refertur ad speciem, cuius est propriu-
rum: quia nullum accidens refertur ad suum sub-
iectum: aliter omne accidens esset relatiuum: tã-
etiam: quia subiectum est prius natura ipso pro-
prio: & relatiua sunt simul natura: ergo.

Quarto tandem: quia proprium est ens rea-
le: ergo non est vniuersale: vt hic de vniuersali lo-
quimur: probat antecedens: quia seclusa opera-
tione intellectus, habere tres angulos conuenit
triangulo, & omni, & soli, & semper: ergo &c.

2. Conclus.

Deinde statuitur duplicem conclusionem di-
cens primo. Proprium est vniuersale: quam pro-
bat primo à diffinitione vniuersalis: prædicatur
enim de pluribus: & allegat Philosophum pri-
mo Topic. e. 4. dicentem: Propriū esse prædica-
tum: ergo, & vniuersale: de qua consequentia egi-
mus supra: quæst. 6. vniuersa, art. 1. antecedens
probat: quia prædicatur de indiuiduis specie: cu-
ius est proprium.

Secundo, quod prædicatur de aliquo vniuer-
sali, est vniuersale: sed proprium prædicatur con-
uertibiliter de specie: quæ est vniuersalis: quia
est subiectum demonstrationis, quod necessario
est vniuersale ex primo Post. cap. 14. & 7. Me-
taph. tex. 53. ergo.

2. Conclus.

Secundo dicit: quod proprium est vniuersa-
le respectu indiuiduorum sub specie contento-
rum: habetur in responsione ad primum.

Tandem, soluitur argumenta: & pro eorum so-
lutione aduertit: quod proprium sumitur prime,
& secunde intentionaliter: primo modo dicitur
à proprietate: eo modo, quo dicimus: Hæc do-
mus est propria Petri: & vt sic proprium potest
esse tam indiuidui, quam speciei: secundo modo
significat prædicatum conuertibile cum specie:
& vt sic, non habet abstractum vno nomine no-
minatum: sed explicatur per hoc, quod est inten-
tio proprii: hoc posito ad primum dupliciter re-
spondet: quæ solutiones cum reliquis aliorum ar-
gumentorum clare sunt in textu.

ARTIC. I.

Quid sit materiale Proprium, vt est quar-
tum prædicabile?

Quod in presenti quaerimus, est: an ma-
teriale, quod ab intentione istius quar-
ti prædicabile denominatur, sit pro-
prium secundum quatuor accep-
tiones simul, quas retulimus: an
vero solum quarto modo sumptum.

1. Sentent.

Prima sententia est Copulata Lobanensis,

quam tuentur etiam Catherus, & Mercatus &
Hurtado in presenti ac, Fonseca, 5. Metaph. cap.
28. q. 19. sect. 4. aliterens non solum proprium
quarto modo: sed alijs tribus modis sumptu, sub-
dare huius prædicabilis relationem, quem pro-
bant primo, autoritate Philosophi cap. de sub-
stantia, & Porphyrii cap. de communitatibus,
dicentium: hoc discrimen versari inter accidens
commune, & proprium: quod accidens conue-
nit immediate indiuiduis, & mediate speciei:
Proprium autem, è conuerso: sed omne accidens
profluens à principijs essentialibus rei: licet non
sit proprium quarto modo: conuenit speciei im-
mediate: & mediate indiuiduis: igitur materiale
huius prædicabilis non est solum proprium quar-
to modo: sed alijs modis acceptum.

1. Argum.

Secundo, Albedo in niue, & calor summus
in igne ab istorum essentis profluunt: & tamen
non sunt propria quarto modo: quia albedo non
conuenit soli niui: nec calor soli igni: ergo non
solum proprium quarto modo est huius prædi-
cabilis fundamentum.

2. Argum.

Supposito quod de hac secunda proprii in-
tentione, est nobis loquendum, sicut supra de
vniuersali in communi: genere: specie ac diffe-
rentia: loquuti sumus: videlicet, quod sumitur in
concreto dicens: pro formali rationem prædican-
di conuertibiliter: & pro materiali quodlibet præ-
dicatum à propria rei essentia dimanans: & sup-
posito etiam quod de diuisione proprii à Por-
phyrio tradita est nobis dicendum: sicut de diui-
sione differentie diximus.

Notand.

Notandum: quod proprium est duplex: aliud
Physicum seu indiuiduale: aliud Metaphysicum
seu commune: primum est, quod conuenit indi-
uiduo, in esse indiuidui, ratione alicuius extrinse-
ci: vt nigredo causata ab æstu, vel calore solis: aut
ratione causarum naturalium: vt albedo conue-
nit niui, & cygno: & tale Proprium primario de-
nominat indiuiduum, & secundario speciem: est
quæ fundamentum quinti prædicabilis: vt vide-
bimus. Proprium Metaphysicum est, quod à
principijs quidditatiuis, & essentialibus, Meta-
physica causalitate efficitur: pullulat, & dima-
nat: & hoc est multiplex iuxta numerum gra-
duum essentialium: nam homo est quiddatiue
eas: & ideo conueniunt illi entis passionis: est
substantia: & ideo illi, vt sic, nihil est contrariu:
& ob hanc proprietatem alia accidentia extrin-
seca sibi adueniunt: nam suscipit contraria, nempe,
frigus, & calorem: est etiam corpus: & vt sic
est quantitatis capax, qua media suscipit quali-
tates, scilicet, albedinem, & nigredinem: est
etiam viuens: & vt sic, est vegetabilis, augmen-
tabilis, & generatiuus: deinde est animal: & vt
sic, conuenit illi esse sensibilem: tandem est ho-
mo: & vt sic, est risibilis, flebilis, &c. Et quod de
proprijs realkibus diximus: de intentionalibus est
dicendum.

1. Conclus.

Dicendum primo: Propria transcendentia
realia, & intentionalia etiam transcenden-
talia, non fundant intentionem huius præ-
dicabilis. Hæc patet: nam licet realia præ-
dicata conuertibilia denominentur: talis de-
nominatio est large sumpta, de qua non
loqui-

loquitur Porphyrius: loquitur enim de ra-
tione Proprii, vt est limitata, & Proprio specifi-
co conueniens, seu cum specie conuertibilis.

2. Conclus.

Dicendum secundo, tantum Propria quarto
modo sumpta cum specie conuertibilia sunt hu-
ius prædicabilis fundamentum, & materiale.
Hæc videtur esse expressa Doctoris in solut. ad
primum, & ad tertium, estque communis apud
nostros, & apud plurimos Thomistas: & probat-
ur primo ex Porphyrio, qui solum Proprium
quarto modo ad hoc prædicabile assumit: et si de
alijs aliquantulum egit, fecit: vt plenior notitia
huius quarti prædicabilis haberetur: sicut supra
de differentia communi, & propria sect.

Secundo, sola Propria, quæ fluunt ab essen-
tia rei, pertinent ad hoc prædicabile: sed sola Pro-
pria quarto modo fluunt ab essentia rei: ergo.
Maior est certa: nam aliter non esset discrimen
inter materialia Proprii, & accidentis: & ita non
erunt duo prædicabilia distincta: minor probat-
ur: nam si aliquid aliud Proprium ex tribus ro-
latis flueret ab essentia rei, iam tunc conueniret
omni, & soli, & semper: & ita iam erit Proprium
quarto modo: idem enim effectus in specie ab ea
dem causa essentiali dimanans, necessario erit
eiusdem rationis cum reliquis à tali causa dima-
nantibus: igitur, &c.

Ad prim.

Ad argumenta: ad primum nego minorem:
omne enim accidens profluens ab essentia rei di-
citur Proprium: sed nullum tale est accidens
quinti prædicabilis: hoc enim non dimanat ab
essentia rei, sed ratione alicuius extrinseci: vt di-
ximus.

Ad secun-
dam.

Ad secundum nego maiorem: albedo enim
in niue est accidens commune: quia nix ex vapo-
re grosso in media regione aeris generatur, qui
quidem vapor conuertitur in nubem, & nubes
in niuem. Vnde sequitur quod talis albedo illi
ex causis extrinsecis congelantibus pronenit: ca-
lor etiam summus in igne dicitur eius proprie-
tas large: quia scilicet, est debita forma ignis, vt
sub ipsa sit, & conferuetur: & hoc modo, etiam
quantitas dicitur proprietatis substantiæ: non ta-
men dicitur proprietatis in secundo modo persei-
tatis, de qua loquimur: & ex qua demonstratio-
nes fiunt. Vide Leuchetum quæst. 3. Prolog fol.
12. columna 1.

ARTIC. II.

An Proprium sit vniuersale per or-
dinem ad speciem, an per ordi-
nem ad indiuidua spe-
ciei?

1. Sentent.

PRIMA sententia est aliquorum affir-
mantium Proprium constitui essentia-
liter vniuersale per ordinem ad speciem, à
qua dimanat, & cum qua conuertitur.

1. Argum.

Probatur primo, prædicabile constituitur in
ordine ad id, per quod habet suam formalitatem:
sed hæc habet Proprium per ordinem ad spe-
ciem, à qua fluunt: ergo. Minor probatur: quia Pro-

prium immediate respicit essentiam, vt propria
passio illius.

2. Argum.

Secundo, conuertibilitas cum specie conue-
nit Proprio, vt quantum prædicabile est: sed il-
lam non habet, nisi comparatione speciei: cum
non conuertatur cum inferioribus illius: vt pa-
tet ergo solum comparatione ad speciem est v-
niuersale. Maior videtur esse Doctoris in presenti.
Ad quaestionem dicendum. Igitur, &c.

2. Sentent.

Secunda sententia est communis cum Do-
ctore in solutione ad primum, & quæst. sequenti
soluendo primum principale: pro qua notandū
primo, quod vt iam supra quæst. 5. de Genere ar-
ticul. 3. notauimus: Proprium solum profluere
ab illis essentis, quæ species denominantur: vn-
de quamvis species subalterna de pluribus dif-
ferentibus specie prædicetur: non inde sequitur
proprium eius passionem eodem modo prædi-
cari: non enim, vt genus habet proprium: sed vt
species est: & ideo quodlibet Proprium: seu Pro-
prium in communi, tantum de differentibus nu-
mero est prædicabile.

1. Nota.

2. Nota.

Secundo notandum ex Doctore in solutio-
ne ad primum, quod Proprium quodlibet: verbi
gratia risibile: potest considerari, vt denomina-
tur Proprium pro secunda intentione, in ratione
Proprii, & prædicari: vel in ratione Proprii, &
prædicabilis: primum habet per ordinem ad spe-
ciem, à qua dimanat: & illi, vt sic, conuenit con-
uertibilitas, quæ antonomastice Proprium deno-
minat: secundum habet per ordinem ad plura,
quæ necessario debet esse indiuidua speciei, quæ
sunt plura, per modum plurius: supposita enim
specie, quæ eius rationem per se primo modo
participant, sunt etiam supposita passionis eam
in secundo modo persei-tatis participantia. Nec
est inconueniens, vt Proprium profundamento
hos funder respectus, sicut supra de Differentia
diximus: quoad diuidere genus, constituere spe-
ciem, & facere differre. Quare quamvis res-
pectus ad speciem non tollat à Proprio rationem
vniuersalis: nam specificè loquendo Proprium
semper est vniuersale: non tamen per talem res-
pectum ad speciem, reduplicatiue, dicitur vni-
uersale: et si hoc velle fateri, debet species sumi:
vt ait Doctor in solutione ad tertium: quatenus
est habens Proprium, id est, quatenus est subie-
ctum Proprii primè intentionaliter sumpti: &
ratio, propter quam ipsam Proprium de indiui-
duis prædicatur: idem enim risibile de Petro, &
Ioanne, prædicatur: quia homines: & non quia
indiuidua sunt: & ita homo, quatenus in plura
partitur: & personaliter pro illis supponit, tunc
terminus Proprii, vt prædicabile est, poterit ap-
pellari: sed tunc non sumitur, vt species redupli-
catiue, vide supra de differentia similem quæst-
tionem, & ad propositum applicabis.

Conclu.

Dicendum: Proprium non dicitur vniuer-
sale per ordinem ad speciem: sed per ordinem ad
indiuidua, quæ sub specie continentur: hæc est
Doct. locis citatis: & ultra argumenta, quibus su-
pra de differentia similem conclusionem proba-
uimus: eam probat Valera hoc argumento. Pro-
prium est vniuersale tam secundum rationem
genericam, quam specificam: sed secundum ra-
tionem
P 5

tionem genericam est vniuersale in ordine ad plura, vt plura sunt: ergo secundum rationem specificam erit vniuersale per ordinem ad plura; vt plura sunt: sed species; vt iam alibi vidimus; non habet formaliter rationem plurimum, vt scilicet: ergo nec tantum plurimum: ergo Proprium, sicut in esse generico vniuersalis non constituitur per ordinem ad speciem, sed per ordinem ad individua illius: sic in esse specifico non per ordinem ad speciem, sed ad in diuidua constituitur.

Ad primū

Argumenta: ad primum distinguo maiorem: habet rationem Proprii, vt est prædicatum, per ordinem ad speciem: concedo: vt verū est vniuersale, seu prædicabile, nego maiorem: & consequentiam.

Ad secundū

Ad secundum distinguo maiorem: formaliter nego, materialiter, concedo: hoc est: fundamentum huius prædicabilis necessitas debet esse passio propria; quæ ab essentia rei dimanat; atque adeo cum illa conuertibilis; ita vt talis conuertibilitas sit de eius essentia, vt prædicatum est, non vero vt est prædicabile, licet ad huius rationem præsupponatur: & in hoc sensu potest intelligi ratio Doctoris, quando arguit: Proprium est prædicatum: ergo vniuersale: & etiam in loco citato pro probatione maioris: de quo quæst. sequenti adhuc redibit sermo.

QVÆST. II.

An definitio Proprii quarto modo sumpta sit conuenienter data?

Et quod soli accidit, & omni, & semper: quem admodum homini esse risibile. Cap. eod.



VERITUR de definitione Proprii quarto modo dicti: an hæc definitio: scilicet, quod accidit omni, & soli, & semper, sit conuenienter data? Quod non videtur: quia non ponitur ibi genus Proprii, quod est vniuersale: nec ratio eius loco sui.

Text.com.

430

Item: ista ratio competit differentie vltimæ, & completiue speciei: quia illa conuertitur cum definito, per Arist. 7. Metaphys. ergo, &c.

Item: proprietas sic conuenienter diffinitur: nõ ergo Proprium: nisi per accidens

Item: accidens est distincta species a Proprio: ergo non conuenienter ponitur in eius definitione.

Item: datur per copulationem: ergo est increpanda: per Arist. 6. Topic.

Item: diffinitur: cum sit intrinsece: potest esse vniuersum in omni genere: sed accidens non est vniuersum: quia tunc tantum essent duo generalissima: substantia, scilicet, & accidens.

Ad oppositum est Porphyrius.

Ad questionem dicendum: quod ista definitio est conuenienter data: quia per primam particulam, scilicet, accidit, habetur ratio prædicati; & modus prædicandi, scilicet, in quale accidentale: per omni, & soli, & semper; habetur conuertibiliter: & per has differentias descendit vniuersale in Proprium: vt patet in diuisione vniuersalis. Est etiam hæc ratio eadem illi, quæ ponitur ab Aristoteli. primo Topicorum: Proprium est prædicatum non prædicans essentiam conuertibiliter.

Cap. 4.

Sciendum est autem: quod accidens æquiuocè est nomen primæ intentionis, & secundæ: primo enim significat naturam extra animam, secundum quod Aristot. quinto Metaphys. diuidit ens in substantiam, & accidens. Secundo modo, adhuc est æquiuocum: vno enim modo, idem est, quod prædicatum non essentialiale: & sic est idem, quod esse, in, secundum quod esse, in, distinguitur contra dici, de, in principio Prædicamentorum: quia quod dicitur, de, est prædicatum essentialiale: quod est, in, non est essentialiale. Alio modo est intentio quædam sumpta à proprietate in re; sub quo, & eius opposito, intelligi potest illud, cuius est accidens, sine repugnantia. De accidente primo modo non loquitur Logicus, nisi per accidens: secundo modo ponitur in definitione Proprii: tertio modo est vnum vniuersale distinctum contra alia quatuor.

Text. cõ. 18 & inde.

Ad primum argumentum patet: per accidit enim intelligitur prædicari; per omni, de pluribus sub specie contentis: illa enim particula (in hoc, quod est vna, ex quo habetur conuertibilitas eius cum specie) dicit vniuersitatem eius ad omnia, quibus inest species, cuius est Proprium.

Ad

Ad secundum patet: quod differentia non accidit: quia prædicat essentiam: licet non per modum essentia.

Ad tertium dico: quod proprietas, vt est nomen primæ intentionis, non sic conuenienter diffinitur: sunt enim, quæ diffiniunt, secundum intellectum: ergo ibi sumuntur intentiones, quæ non diffiniunt rem primæ intentionis: quia sunt naturaliter posteriores ea: si sit nomen secundæ intentionis significans idem, quod intentio Proprii: illa non conuenienter diffinitur sic: quia illa significatur sub modo opposito ei, quo conuenit accidere actu.

Ad quartum patet: quia procedit de accidente tertio modo dicto.

Ad quintum dico: quod per omnia illa copulata: omni, & soli, & semper: debet intelligi vnum circumloquutum: scilicet, conuertibiliter: & non est inconueniens ponere copulationem ad circumloquendum aliquid in diffinitione.

Ad sextum patet: quia procedit de accidente primo modo.

Summa textus: simul & explicatio.

POST notitiam Proprii, quod sit, vel an sit habitum, quæst. præcedente: consequenter quærit Doctor quid sit, siue que sit eius diffinitio: & an sit conuenienter data illa, quam assignat Porphyrius de Proprio quarto modo sumpto: videlicet, Proprium est, quod accidit omni, & soli, & semper. Pro parte negatiua sex rationibus arguit: prima ostendit non esse bonam diffinitionem: quia nec genus, nec aliquid loco generis habet. Secunda probat ipsam conuenire alteri à definito: puta vltimæ differentia. Tertia eodem modo procedit: quia proprietas, quæ est prima intentio, per hanc diffinitionem diffinitur etiam: ergo talis diffinitio conuenit alij à definito, quod tantum per accidens per eam diffinitur. Quarta impugnat primam particulam, scilicet, ly, accidit, quæ est disparatum respectu Proprii. Quinta ostendit diffinitionem esse vitiosam: quia datur per copulationem contra Aristot. sexto Topicorum capite 13. Sexta tandem ostendit aliud eius vitium: quia diffinitum excedit partes diffinientes: cum oppositum debeat esse ex secundo Posterior. capite 17, quod probat: quia Proprium, sicut, & alia intentiones, reperitur vniuersum in omnibus nouem generibus: accidens vero non: quia tunc tantum duo essent generalissima: substantia, scilicet, & accidens: ergo incongrue ponitur accidens in diffinitione Proprii: quia si ponitur pro vno

significatorum, tunc Proprium excedit: si pro omnibus, non potest esse: quia accidens; vt sic, est æquiuocum: & æquiuocum, in quantum tale non diffinit. Igitur, &c.

Sed istis non obstantibus; statuit conclusio: nem dicens: quod prædicta diffinitio est conuenienter data: hanc probat per diffinitionis explicationem mirabilem: nam, inquit, per ly, accidit, habetur implicite ratio prædicati, & modus prædicandi: quia infra quæst. 2. de Accidente, hæc verba, inesse, adesse, vel accidere, important rationem prædicati in concreto: & idem dicere: Proprium accidit: idem est: ac si dicitur: est prædicatum in quale accidentale: per alia vero tria, quæ sequuntur: nempe omni, & soli, & semper: habetur Proprii conuertibilitas: quare, Logice loquendo, sensus diffinitionis est: Proprium est, quod prædicatur de pluribus in quale accidentale conuertibiliter. Et addit: quod hæc diffinitio Porphyrii coincidit cum diffinitione Philosophi primo Topicorum cap. 4. nimirum, Proprium est prædicatum non prædicans essentiam conuertibiliter.

Conclusio

Pro solutione argumentorum, pulchram distinctionem de accidente adducit: quæ ad binem sic reducitur: accidens aliud intentionale: aliud reale: primum est adhuc duplex: nam vel est prædicatum non prædicans essentiam: vel est quædam intentio sumpta ab accidentibus communibus, quæ quantum vniuersale constituit: accidens reale est, quod simul cum substantia diuidit ens reale: & hoc, ait, per se ad Metaphysici considerationem pertinet: per accidens autem ad Logicum spectare. Vnde accidens, quod ponitur in diffinitione Proprii, idem, quod prædicatum non essentialiale importat: & tale accidens potest dici vniuersum Proprium, & accidenti: nec inde sequitur esse tantum quatuor vniuersalia: quia numerus vniuersalium assignatur secundum species subalternas infimis propinquas, propriis nominibus, & non tantum genericè, nuncupatas: vt supra quæst. 6. vniuersalium vidimus. Et adhuc si esset æquiuocum adhuc loco generis poni posset: quia tunc diffinitur, non vt æquiuocum, sed vt nomen commune remote significans differentiam Proprii, & accidentis: & ita contrahitur per immediate addita: & sic est nomen commune contractum per specialia: quod sufficit.

Nota.

Ad primum igitur negat assumptum, explicatque clarius diffinitionem traditam.

Ad secundum similiter negat assumptum: quia differentia non prædicatur in quale accidentale, sed essentialiale.

Ad tertium eodem modo negat assumptum: nam proprietas pro prima intentione non potest per hanc diffinitionem diffiniri: nam quæ in ea ponuntur sunt termini secundæ intentionis, quibus prima diffiniri nequit: quia differentia præcedunt diffinitum naturaliter: secundæ autem intentiones naturaliter primas sequuntur. Et dato: quod proprietas sit abstractum Proprii, vt est secunda intentio: adhuc non potest esse hic diffinitum: tum quia diffinitio datur per terminos concretos habentes oppositum modum signi-